

tem consequi volūt, quæ Spiritu, fide, & cordis affectu vacua sunt. Nullam in rem magis insistent Prophetæ, quàm vt hypocritas falsa eiusmodi fiducia depellant. Sed in primis ridicula confessio, vbi externa quæ notavi, laruatæque opera, vltro sibi vendicant. Iam operæpretium est videre vnde suam hæresim eliciant. Spiritus sanctus datur credentibus. Ergo non iis qui volunt sine operibus iustificari. Longe diuersa est Pauli Theologia: Credenti in eum qui iustificat impium, inquit, & non operanti, reputatur fides in iustitiam, Roma. 4. a. 4. Nam opera & fides, quoad iustificandi causam, inter se pugnant. Fides enim aliunde nos mutuari docet iustitiam, cuius inopes & vacuisumus. Ergo si quid operũ afferre liceat quæ ad promerendam Dei gratiam aliquid valeat: iam in nobis iusti, vel aliqua ex parte erimus. Neque verò interea fidem imaginor bonorum operum inanem. Sed meminisse oportet, in eo verti quæstionis nostræ cardinem, cur & qua de causa iusti censeamur coram Deo. Etsi autem fides quæ nos iustificat, operibus non caret: iustificare tamen sine operibus dico, quia ex mera Dei gratia, absque vlllo